

Asatum in genium sub vicio, si mundetur magis erit in virtute.

Strabus.

nam huiusmodi ingenium infirmè, eneruiter, ac imbecilliter bene facit; illud vero fortiter, & magnanimè, ac multa discretione agit, & ideo ex hac parte tale ingenium melius est, si enim à vitiis munderetur, ac purgetur maximè virtute irradiat, & fulget. Præfatum Ecclesiast. locum explicans Strabus ait: Sæpè enim culpa fortium sit occasio virtutis, & virtus infirmorum occasio peccati: Sæpè enim fortium lapsus, est occasio, vt recognoscentes suam miseriam generosè ad magnos virtutum proventus exurgant; at verò stante infirmorum virtute ex sua desidia, ac tepiditate aliquando anfa ad magnam ruinam paratur.

85. Theophyl. Bernard.

Quartò. Theophylus datus quæst. 10. Laudatur villicus, vt prelati instruantur, vt aliquid de rigore admittant. Vide ibi dicta. Quintò. D. Bernardus Epistol. 257. Dispensator ille, cuius laus est in Euangelio, elegit potius fraudem facere Domino suo, quam proximo non misereri. Denique pro centum, nunc quidem octoginta, nunc vero quinquaginta adhibuit. Iustè laudatus est, qui Domino suo rerum maluit, quam personarum iacturam facere. Non contristatur Dominus de facultatum iactura, sed de dispensatoris sagacitate sibi complacet, illumque laudat, quod prudenter fecisset: Dominus iste Deus, qui tam magnificus, ac liberalis est in suos, vt suarum rerum damna non cogitet, dummodo nos lucrum habeamus, ipsèque sibi homines lucretur; ipse sibi paupertatem eligit, vt nos diuitiis illius impleamur.

Dominus patitur de fraudari de suis bonis, vt nos dicemur.

86. Zachar.

Ait Zacharias cap. 9. num. 9. Ecce rex tuus venit iustus, & saluator, ipse pauper ascendit super asinum. Quomodo, qui verè est omnipotens, pauperem habitum assumens, non in millibus Angelorum, non in curru sublimis apparet, sed in vilis, & abiecto asino: cur non magis suam regiam potestatem exhibet, & præbet; ipse pauper factus est, vt nos illius diuitiis locupletemur. D. Augustin. serm. 6. de Natiuit. Occultatur, ait, in membris infantis potentia maiestatis, Deus pendet ad vbera genitricis, pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffere præsepis angustias, & totus misericors humiliter patitur, dummodo mundus, qui perierat, liberaretur. Vide Amor Christi, hoc tom. 1. 2. & 3.

Christus fit pauper, vt nos locupletes essemus.

August.

Luc. 19. n. 9. Ego autem dico vobis: facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

VERSIONES.

Syriacus.

Sed hoc vobis dico: facite vobis amicos ex hoc mommo vno iniquitatis, vt cum defecerit, illi recipiant vos in tabernacula sempiterna.

Arabicus.

Accipite vobis amicos de bonis iniquitatis.

Vasabius.

Parate vobis amicos ex Mammona iniusto.

Tertull. lib. 4. De Mammona iniustitiæ. contra Max. ei. cap. 33.

EXPOSITIO VI.



IT hic applicatio totius parabole. Ac si dicat Dominus, quemadmodum villicus ille amicos sibi comparauit iniquis diuitiis, id est ex diuitiis, quas malis artibus in vsum, & commodum suum conuertit; ita & vos facite amicos ex mammona iniquitatis, diuitias vestras pauperibus erogantes, vt vos recipiant in æterna tabernacula. Mammona secundum phrasim Hebraicam diuitias significat, deriuaturque Mammona à nomine Hebraico, quod significat abscondere, vel etiam à Chaldaico, quod idem est ac thesaurus absconditus; solent enim opes abscondi. Vel etiam Mammon, vt notat Charrhusian, nomen erat cuiusdam idoli, quod Platium appellabatur, & à gentibus, tanquam diuitiarum Deus colebatur, inde nomen idoli diuitiis adaptatum est, diuitiæ à multis tanquam aliquod diuinum numen venerantur. Vnde auaritia ab Apostolo appellatur, idolorum seruitus. Ad Ephes. 5. num. 5. Seu quia Mammon nomen est cuiusdam demonis, vt aliqui tradunt, de quo ait D. Paschasius: Quasi qui diuitiis præsit huius seculi, non quod in eius ditione sint, sed quia eis vtiuntur ad decipiendum, dum incautos, diuitiarum irretit laqueis. Dicitur quod præsit diuitiis, quia diuitiis obiectis homines fallit: ac ad retia sua trahit.

87. Applicatio parabola.

Diuitia vt numen venerantur.

Carthuf.

Ephes. 5.

Paschas. Diabolus per diuitias decipit.

88.

Hieron. Quomodo diuitia sint iniquitatis.

Beda. Haymon.

August.

Diuitia excacant mentem. Apocal. 17.

Ioach.

89.

Titus. Euthym.

Ego dico vobis. Adhortor, ac moneo vos, facite vobis amicos de Mammona, seu diuitiis, iniquitatis. Non quod de bonis, quæ iniuste quis agnoscit possidere, eorum sit dispensator, teneret enim illa Domino suo reddere, sed tantum ea potest distribuere, quæ iusto titulo possidet. Dicitur ergo diuitiæ iniquitatis ex multiplici ratione. Primò, quia per iniquitatem iniustos contractus, ac rapinas parentum, & maiorum acquiruntur: iuxta illud D. Hieron Epistol. 150. ad Hediabiam: Omnis diues, aut iniquus, aut iniqui heres. Filius, aut nepos suorum auorum fraudes omnino ignorat. Secundò diuitiæ dicuntur iniquæ, quia sunt causa, occasio, ac irritamenta multorum malorum, ac peccatorum. Tertio, vt explicat Beda, Haymon; Diuitiæ faciunt homines iniquos, insolentes, ac prauos; nam illi, qui aliàs erant mites, ac boni, diuitiis sunt superbi, ac fetoces. Quartò. Quia sæpè cum iniquitate expendantur. Quintò. Vt docet D. Augustinus serm. 35. de Verbis Domini, ita diuitiæ excacant mentem, ad easque ordinariè ita afficiuntur eius possessores, vt eas solas esse diuitias existiment, non verò diuitias, & cælestes. Meretrix illa magna: Erat circumdata purpura, & cocco, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, Apocal. 17. num. 4. Cùm esset plena diuitiarum, habebat poculum ad inebriandum, vt ipsi diuitiis mentem, ac iudicium peruerteret. Ioachimus Abbas. Diuitibus huius mundi sunt pretiosa vasa ad ostendendam vanitatem gloriae suæ, in quibus est abominatio ebrietatis.

Vt cum defeceritis. Vita, & officio dispensandi; cùm enim sublatis fueritis à vita, à vobis etiam erit ablata omnis Mammonæ dispensatio; ita interpretantur Titus Bostrenf. Euthymius, Theophyl.

Theophyl. Bonau. Syrus.

Theophyl. Bonauent. & alij. Syrus legit in singulari, cum defecerit. Mammona à vobis, quod fiet in morte vestra. Recipient vos. Scilicet amici, quibus ex mammona iniquitatis elemosynam impendistis; si enim hi pauperes sancti, & iam in caelo regnantes, eodem vos suis orationibus, ac meritum communicatione recipient: si enim pauperes sunt impij, elemosynatum merces non deperditur, sed illarum merito recipient vos, non non ipsi, sed ille, cuius amore elemosyna facta est, Christus nempe, à B. Virg. cum suis cælestibus Angelis. In æterna tabernacula. In mansiones nempe regni cælorum. Theophylactus: Felix, ait, permutatio cum temporaria permutantur æternis. Pulchrè D. Chrysofomus in Catena: Ars artium, ait, peritissima est elemosyna, non enim nobis domos fabricat luteas, sed vitam æternam impendit.

Theophyl.

Chrysof.

QUESTIO XIV.

Quare nobis mandat Dominus facere amicos de mammona iniquitatis, vt ab eis recipiamur in æternam beatitudinem?

90.

Pauperes debemus querere.

Arias.

Genes. 19. Chrysof. Rom. 12.

91. August.

Quod pauperi datur, in nostrum commodum venit. Exod. 23.

Leuit. 25.

92. Titus.

NON solum ait Dominus, quod proximo indigenti elemosynam demus, sed ait: Facite vobis amicos. Innuens, quod pauperes diligenter inquirendi sunt à nobis, vt eorum indigentia, ac necessitati succurramus; quod Lot sederet ad portas ciuitatis; compulsi illos oppido, seu vt legit Arias, valde, vt diuerterent ad eum, ingressi domum illius, fecit conuiuium, Genes. 19. num. 5. Cùm illos cogens existimat, non solum adhortatur, sed etiam coegit eos. D. Chrysofomus expendens illud Apostoli ad Rom. 12. Hospitalitatem sectantes: Instruit nos, vt non expectemus egenos, donec ad nos veniant, sed ad ipsos curramus, & festinemus, sicut Lot, & Abraham.

Ad nostram quætionem responder primò D. Augustinus serm. 35. Qui sunt, qui habebunt æterna tabernacula? Nisi sancti Dei, & qui sunt, qui ab ipsis accipiendi sunt in tabernacula æterna? Nisi qui eorum indigentia seruiunt, & quidquid habuerunt pauperibus distribuerunt, vt Deo sine seculari compede seruiant. Tuis diuitiis, tuis elemosynis faciendi sunt tibi amici, vt ab eis recipiatis in æterna tabernacula, quod enim pauperi datur tibi non diminuit, sed cum multo scenore ad te multiplicatum reddit. Mandauit Deus Moysi: Sex annis seminabis terram, sed septimo anno dimittes eam, vt comedant pauperes populi tui, Exod. 23. num. 10. Si septimo anno semina non sunt terra mandanda, nec fruges colligenda; ergo fame peribunt homines. Minimè. Cùm enim fructus huius anni in pauperum necessitates distribuantur, minimè aliquid poterit desse, sed omnia valde multiplicata erunt, benedictio enim diuina promittitur, vt antecedenti anno sexto terra producat trium annorum fructus. Sic ait Deus: Dabo vobis benedictionem meam anno sexto, & faciet fructus annorum trium, secretisq. anno octauo, & comedetis fruges veterum usque ad annum nonum, donec noua nascantur, edetis vetera, Leuit. 25. num. 21. Elemosyna in sinu pauperis magnum semen ad vberes fructus.

Secundò. D. Bernard. in Declamationibus: Communicate eam pauperibus, quorum est regnum.

Dei: vt cum venerit hora eorum, reminiscantur, & deficientes vos recipiant in æterna tabernacula sua, & consolationem suam: mensuram enim bonam, & coagulatam, & superfluentem dabunt in sinu eorum, nec erit illud pallium breue, quod duos operire non possit, aut stratum coangustum, vt decidat alter. Mandat Dominus, vt pauperes, & egenos faciamus nobis amicos, quorum paupertate tam ampla est dignitas, vt non solum sibi, sed etiam aliis possint suis orationibus parare æterna tabernacula; sic ipsi degunt in cælis, vt sibi metipsis, ac aliis valeant parare sedes. Ait Regius Vates: Audite, hæc omnes gentes; auribus percipite omnes, qui habitatis orbem. Quiq. terrigena, & filij hominum: simul in vnum diues, & pauper, Psalm. 48. num. 1. Vocantur ad Deum diues, & pauper; maximè tamen expendendum est, quod ait: Simul in vnum diues, & pauper: seu vt ex Græco legi potest: In id ipsum diues, & pauper. Quasi diues non per se adducatur, sed pro vt vnitus, ac conglutinatus cum paupere, sub cuius vmbra, ac protectione trahitur. D. Casarius Arelatenf. homil. 24. quæ est de vltimo, & vite. Postquam latè ponderat, quod vltimus cum sit arbor sublimis, significat diuites; vitis verò, cum humilis sit, pauperes adumbrat; vltimus verò quamuis sublimis caret fructibus, pro vt vitem sustentat fructibus exornatur. Tunc sic subdit S. Casarius: Arbor vltima significat hominem diuitem in hoc mundo. Sicut enim arbor illa sublimis est amena, & hirsuta, & tamen fructibus vacua: ita & quicumque diues seculi huius quamuis sublimetur honoribus, in multis facultatibus amenus, & incundus esse videatur, tamen si ad vitam, id est ad pauperem Christi elemosynarum suarum brachia quasi ramos pessimos humiliter non expandit, à fructibus æternæ vitæ vacuus remanebit. Diues per se vacuus est fructibus, prout verò ad pauperem suis elemosynis accedit fructibus exornatur, vt ad æterna tabernacula ingrediatur.

Psalm. 48.

Græc.

Diues per elemosynam exornatur fructibus, ac ferrur in cælam.

D. Casari.

93. Chrysof.

Tertio. D. Chrysofomus concion. 3. de Lazaro: Verum habes amicum, ait, egregium, admirandumq. at ne iste quidem tunc tibi est adiuuans. Quomodo igitur dicit: Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula? Non hic est amicitia opitulatrix, sed elemosyna. Etenim si sola auxiliaretur amicitia, dicendum erat; facite vobis amicos. Nunc autem ostendens, quod non sola sufficiat amicitia, addidit ex mammona iniquitatis. Quod satis eleganter dictum est. Multis modis comparantur amici, vel orationis dulcedine, vel donatione, vel alio modo; valde mirum, quod non solum mandat Dominus facere amicos, sed addidit amicos ex mammona iniquitatis, hoc est ex elemosynis pauperibus datis, vt eorum interuentu ingrediatur ad æterna tabernacula. Nonne sufficit quod faciam mihi amicos potentissimos prece, seu oratione, ad quid peculiariter exprimitur ex mammona iniquitatis? Ostendit Dominus, quod non sic nobis proderunt amici orationibus comparati, ac illi, quos ex elemosynis erogatis in pauperes assequuti fuerimus apud Deum. Illa enim inueniuntur efficacissima patrocina, quæ ex elemosynis impensis obtinentur. Vnde sic subdit citatus Chrysofomus: Vt scires, ait, quod elemosyna est, quæ patrocina, opus tuum, ac beneficium tuum, non simpliciter in bonorum amicitias, sed in amicitias per mammonam partis iussit te considerare.

Ex elemosynis pauperum efficacissima sunt patrocina Sanctorum.

Chrysof.

94. Ezech. 14.

Ait Dominus per Ezechielem 14. num. 19. Si pestilentia

pestilentiam immiseri super terram illam, & effu-
dero indignationem meam super eam in sanguine, ut
auferam ex ea hominem. Et Noë, & Daniel, & Iob
fuerunt in medio eius: viuo ego dicit Dominus Deus,
quia filium, & filiam non liberabunt. Compone
hæc cum his, quæ narrantur Actor. 9. num. 40.
Quod vnus tantum Petrus orans Thabitam de-
mortuam suis orationibus in vitam reuocat. Pe-
trus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus di-
xit, Thabita surge: at illa aperuit oculos suos. Cur
tres v. ri illi sanctissimi suis orationibus pro filiis
non exaudiuntur; at verò Petrus pro vna mulie-
re defuncta, & sibi deuota deprecans exauditur?
De Thabita dicitur in textu: *Erat plena operibus
bonis, & elemosynis, quas faciebat*, ibidem num. 36.
In illis tribus vitis apud Ezechielem dabatur pa-
trocinium cum orationibus tantum; at verò in
Petro cum oratione simul coniuncta erat distri-
butio elemosynatū in pauperes, ex qua tam effi-
cax fuit patrocinium, vt statim optata impetra-
ret, & mulieri vitam restitueret. Opportunè rem
explicat D. Chryostomus in Psalm. 48. *Audi, ait,
quid dicat Propheta: si steterit Noë, & Iob, & Da-
niel, filios suos, & filias suas non liberabunt. Quan-
tum luxit Samuel, & Saulem non eripuit? Quar-
tum precatus est Hieremias, & Iudæos nihil inuit.
Quid ergo; summe superuacua Sanctorum preces?
Nequaquam, sed magnas vires habent, quando tu
quoque eis auxilium iuleris. Ita etiam Petrus susci-
puit Thabitam, non solum oratione, sed etiam illius
elemosyna. Ecce preces sine elemosynis non im-
petrant effectum, maxime verò si ab ipsis elee-
mosynis habent auxilium.*

QUESTIO XV.

Quare mandans Dominus facere elemosy-
nas pauperibus, addidit: Et cum
defeceritis recipient vos?

95. **E**XPENDO verbum, cum defeceritis; hoc est,
vt dixi in expositione cum vita, ac officio
functi fueritis, ex pauperum orationibus ob elee-
mosynas datas habeatis auxilium, & præsidium
in hora mortis, in tempore iudicij, ac receptione
æternæ vitæ. Ait Ecclesiast. 7. num. 13. *Sicut enim
protegit sapientia, sic protegit pecunia. Quæ verba
sic legit Pataphraſtes Chaldaic. Quemadmodum
custoditur vir in umbra sapientia: sic custoditur in
umbra argenti tempore, qui facit ex eo elemosynam.*
Sicut enim vera sapientia in omni pressura facit
declinare omne malum, sic & pecunia erogata in
pauperes omnia iacula diuinæ indignationis de-
pellit. Pro quo eleganter ait D. Gregor. Nazian-
zenus orat. 17. *Ad necessaria tempora superna bene-
uolentia tibi præsidium para, misericordiam Deo
commoda, neminem vnquam Deo aliquid prius ob-
tulisse pœnituit: in beneficio reddendo copiosus est.*
Singula verba pondera, *Ad necessaria tempora.*
Nempe in hora mortis, die iudicij. *Misericor-
diam Deo commoda, qui enim misericordiam im-
pendit pauperi, misericordiam Deo commodat,*
quasi ex iure videtur agere cum Deo, vt illi æter-
nam gloriam reddat.

96. **A**d nostram quæſtionem respondet D. Ber-
nard. in Declamationibus: *Facite vobis amicos de
mammona iniquitatis, ac si manifestus dicat: Va
vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.*

Attamen vnus iam superesse videtur, communicate
eam pauperibus, quorum est regnum Dei, vt cum
venerit hora eorum, reminiscantur, & deficientes
vos recipiant in tabernacula sua, & consolationem
suam, quam modo prudenter expectant, dum ve-
stram ipsis præripitis, misericorditer communicent
desolatis. Preme verbum, cum defeceritis; id est
cum aliter potentes, ac valentes non estis ad hanc
urbem cælestem obtinendam. Veluti qui ciuita-
tem munitissimam expugnat, cum eam nullo mo-
do valeat expugnare, nec ad illam habere ingres-
sum, arte, ac industria vitur; milites seu custodes
donis, ac datis pecuniis corumpit, vt illi aditus
pateat, ciuitas cælestis est munita, & veluti
clausa diuitibus, vt ipse D. Bernard. citato loco
ponderat, expendens illud Christi Domini,
Matth. 19. *Facilius est camelum per foramen acus
transire, quam diuitem intrare in regnum calorum.*
Cum ergo vos defeceritis; non valentes, nec po-
tentes hanc urbem cælestem intrare, erogatis pe-
cuniis arte, & industria vtmini, porrigite elee-
mosynas pauperibus, vt ipsi suis orationibus, ac
meritis vos adiuuent, manus præbeant, vt cæli ia-
nna nobis pateat. Attamen vnus iam superesse
videtur, communicate eam pauperibus, vt deficientes
vos recipiant.

Ait Salomon Proverb. 10. num. 15. *Substantia
diuitis, vrbis fortitudinis eius.* Ac si dicat, tota for-
titudine diuitis ad oppugnandam cælestem ciuita-
tem, quamuis fortissimam, eius diuitiarum sub-
stantia est in pauperes diffusa. Ad quod etiam
tendit id, quod ipse sapiens ait, Proverb. 13. n. 8.
Redemptio anime viri, diuitia eius. Ac si dicat:
Anima diuitis, suis opibus tenetur veluti capta
nexibus suarum iniquitatum, à quibus elemosy-
nis expensis in pauperes liberatur. Vtrumque lo-
cum dilucidat D. Ambrosius epistol. ad Vercel-
lens. Ecclesiam: *Neque, ait, ipsa diuitia vituperabi-
les. Redemptio anime viri, diuitia eius. Quo-
niam qui pauperi donat, redimit animam suam. Est
ergo his materialibus diuitiis virtuti locus. Quasi
Gubernatores estis in magno mari, si quis ergo bene
gubernat suum nauigium, citò transit fretum, vt per-
ueniat ad portum; qui autem nescit regere suum
censum, onere suo mergitur, ideo scriptum est: Pos-
sessio diuitum ciuitas firma. Quæ est ista, nisi Hie-
rusalem, quæ in celo est? Bona hæc possessio, quæ fru-
ctus perpetuos facit.*

Ait Ecclesiasticus 29. num. 15. *Conclude elee-
mosynam in corde pauperis, & super scutum potentis,
& super lanceam, aduersus inimicum tuum pugna-
bit.* Optatus Mileutan. lib. 3. contra Donat. *Con-
clude elemosynam, legit, absconde panem.* Illud verò
in corde pauperis. Græcus: *In cellis tuis.* Quod
enim pauperi datur tibi referuatur. In rem no-
stram. *Super scutum potentis pugnabit.* Quodnam
est scutum potentis? nubes nempe, quam Deus
tanquam scutum, cum iratus est, opponit aduer-
sus peccatores, ne eorum preces tranſeant ad
eum, quod cum multis lachrymis dicebat Iere-
mias, Thren. 3. num. 44. *Opposisti nubem tibi, ne
tranſeat oratio.* Fortè ergo hoc scutum, quo ca-
lum est veluti clausum, ac munitum, ne oratio pœ-
netret, elemosyna tamen, vt irrefragabile telum
illud valet perfringere, vt ad Dei thronum deue-
niat, ac vt omnia impetret, & obtineat. D. Chry-
ostomus 9. de Pœnitentia: *Magna res elemosy-
na, ait, præcedit ærem, tranſit Lunam, Solis radios
cædit, ad ipsum venit calorum culmen, ipsos pertranſ-
iens calos & Angelorum populos decurrens, Archang-
gelorumq;*

Elemosyna
efficax ars vt
calum oppu-
gnes, & ad
illud ingre-
diaris.

Marth. 19.

97.
Prou. 10.

Prou. 13.

Elemosyna
redimit ani-
mā ab omni
malo.
Ambros.

98.
Eccles. 29.

Opeatus.

Græcus.

Tfren. 3.

Elemosyna
efficacius
quàm oratio
penetrat ca-
lum
Chrysoſt.

gelorumq; choros, & omnes superiores potestates ipsi
assistit regali throno, quod ex ipsa disce Scriptura.
Cornel. elemosynæ, inquit, & orationes tuæ
ascenderunt in conspectu Dei.

Cornel.



CAPVT XXIX.

Diues epulo, & Lazarus.

Luc. 16. n. 19. Homo quidam erat diues,
qui induebatur purpura,
& bysso: & epulabatur
quotidie splendide.

VERSIONES.

Syriacus. Porro vir quidam diues
erat, & amictebatur bys-
so, & purpura: & quo-
tidie se oblectabat ma-
gnificè.

Clemens Alex. Homo quidam erat valdè
diues.

Arabicus. Induebatur purpura, &
bysso: & iucundè vitam
ducebat quotidie, &
splendidè viuebat.

Græcus. Gaudebat quotidie, & hi-
laris erat.

EXPOSITIO I.

NOTAT D. Chryostom. homil.
de Diuite, & Lazaro, quem se-
quuntur communiter Recentio-
res, Maldonat. Barrad. Cornel. Hæc
spectate ad ea, quæ superius de
exhortatione elemosynæ dicta sunt à Christo
Domino hoc cap. 16. D. Luc. num. 9. *Facite vobis
amicos de Mammona iniquitatis.* Et num. 13. *Non
potestis Deo seruire, & Mammona.* Quare im-
mediatè hæc omnia hoc horrendo exemplo con-
firmat, obliens ante oculos, diuitem tartareis
cruciatum flammis, qui non fecerat amicos de
Mammona iniquitatis, & pauperibus nec micas
quidem cadentes de mensa sua dabat; cætera ve-
rò intermedia in hoc cap. 16. pronuntiata sunt à
Christo, eo in loco, quo extant apud Matth. 6.
& ibi à nobis sunt explicata tomo 2.

Homo quidam erat. Non dicitur vir, sed ho-
mo, à natura corrupta, quæ in eo multis vitiis
erat deprauata; & dicitur homo, ne iste veluti
aliqua bestialis fera intelligeretur, nam qui ven-
tri, ac gulæ tantum indulget, & clausa habet visce-
ra ad suos fratres non homo, sed brutum animal
reputatur, quod toto conatu de suis pascuis est
solicitus; sic hunc epulonem pungit D. Chryost.
homil. vnica. *Ubi diuitia, & feritas, ait, Leonem
video non hominem: nobilitatem perdidit ignobilitate
malicia.* Et dicitur de eo, vt notat Hugo.
Erat diues. Per præteritum imperfectum, quia
omnis qui finaliter non est bonus, imperfectè est
diues; quia eius diuitiæ prætereunt, & pereunt.

1.
Chrysoſt.
Maldon.
Barradas.
Cornel.

Connexio
cum superio-
ribus.

2.

Chrysoſt.

Hugo.
Opulentia
cum ferocita-
te non homi-
nis, sed leonis
est.

Diues dicitur, ait D. Bonauent. non solum pro-
pter diuitiarum possessionem, sed etiam propter
earum nimium affectum, ac delectationem, ra-
tione cuius intractatur, ac prægrauatur spiritus,
vt non possit peruenire in sublimia regna celo-
rum, Matth. 19. num. 24. Et quamuis hic miser esset
diues in temporalibus, tamen vt ait D. Fulgent.
lib. de statu viduali cap. 9. *Pauper erat in multitu-
dine diuitiarum, nudus in pulchritudine vestium,
infirmus in sanitate corporis, famelicus in sanitate
ventris.* Cum eius diuitiæ ei inferirent, vt æter-
nas diuitias, æternam pulchritudinem, salutem, ac
fatietaem perderet.

Bonau.

Marth. 19.
Fulgent.

3.

Græcus.

Glossa.

Iacob. 5.

QUESTIO I.

An huiusmodi euentus Diuitis cum Laza-
ro sit historia, vel parabola?

PARABOLAM esse existimant D. Chry-
ostom. 4. Homilia de Diuite, & Lazaro: vbi
passim parabolam dicit. Et hoc loco Teophy-
lact. Titus Bostrenf. D. Gregorius Nazianz. in
Carmin. de Parabolis Luc. Theophyl. Antioch.
libro 4. Allegoriar. Euchirius quæſtionibus in
Lucam.

4.
Chrysoſt.
Theophyl.
Bostrenf.
Theophyl.
Euthym.

Historiam esse docent Tertullian. lib. de Anima
cap. 7. D. Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 22. D. Augustin.
serm. 227. de tempore. D. Irinæus lib. 2. cap. 62.
D. Isidorus Pelusiota Epistol. 376. ad Cyrium.
D. Gregor. homil. 40. in Euangelia. D. Chryſolog.
serm. 124. D. Chrysoſt. homil. de Lazaro, & Diuite.
Et hoc loco in Lucam. D. Ambros. Euthym. Ly-
ran. Carthusian. Baron. in Annalibus. Et Lucas
Burgens. Barradas, Cornel. & alij, qui omnes
dicunt fuisse historiam, quæ paulò ante illud tem-
pus, quo Christus prædicauit, contigerat; nomen
pauperis exprimitur in litera, qui dicebatur La-
zarus; nomen verò diuitis ex traditione He-
bræorum refert Euthymius, qui dicebatur Ni-
nenſis.

5.
Tertullian.
Cyrill.
August.
Irenæus.
Pelusiot.
Gregor.
Chryſol.
Chrysoſt.
Ambros.
Euthym.
Lyran.
Carthuf.
Barrad.
Cornel.

Euthym. Maldonatus, Menochius, Tyrinus
existimant partim esse historiam, partim parabola-
m, quod mihi est probabilius, quod nempe
Diues, & Lazarus fuerint, & quod ille sepultus
sit in inferno. hic in sinum Abrahamæ asportatus,
historia est; Colloquium autem diuitis cum
Abrahamo postulantis ab ipso, vt ad illum
Lazarus mitteretur, qui gutta aquæ refrigeraret
linguam eius, parabola adiuncta historia est; non
enim miseri ex inferno sanctos rogare solent, nec
de aliorum salute se solliciti exhibent, vt Diues
erga fratres suos se ostendebat.

6.
Euthym.
Maldon.
Menoch.
Tyrio.

Quod